Dum autem hic Serenisſ. Elect. Sax. (quum mola salsa quoque
litent, qui hecatombas nequeunt) in hoc ipso Orationis cursu, quem
ratum optimus Max. Deus esse velit, humillime offero rutam, foecun„
dissimam omnium plantarum esse herbam scito: Foecunditatem
utique suam ostentat in pullulando. Quid? nonne Ruta ex parvo
semine succrescit? nonne sese in tot ramusculos diffundit ac
nodulos, ut cum gaudio eorum congressum aspectemus, quo co„
ronam quandam repraesentant. Vix illi ac ne vix quidem sunt
numerabiles. Imo si fidem habere Historiae naturalis Scripto„
ri Plinio licet, a se ipsa seritur Ruta, incurvato scilicet
alicujus rami cacumine cum terram tetigerit, statim radica„
tur. Amicitia ei tanta est cum ficu, ut nusquam laetior
proveniat, quam sub hac arbore. Et licet non nimis alte
crescat, Josephus tamen Belli Judaici Scriptor fidelissimus memo„
riae prodit, Macheronte fuisse rutae stirpem, quae magnitudine
aequarit ficum. Quid autem? Anne magnitudo excellentiorem
et praestantiorem facit? Neququam. Est sane omnium avium
re minima luscinia, nec tamen propterea quicquam ei
decedit, quin potius ob miram cantus suavitatem omnibus antefer„
tur avicilis. Sunt Adamas et Smaragdus omnium lapidum
minimi, nec quicquam tamen propterea eorundem decedit
pretiositati, quin potius magni illi apud Principes et
Megistanes aestimantur, lapidibus molaribus saxisque magnis quoad
pretium infinitis gradibus superiores. Est cor hominis exi„
guum, coetera tamen membra post se longo intervallo relin„
quunt. Imo et in apiculis quid non laude imitationeque dignum
reperitur parvum licet sit animalculum. Unde nec minus
recte quam apposite Poeta canit:
Major in exiguo regnabat corpore Virtus.
Nihil omnino nihil rutae accedit, si eam in magnitudinem
excrescat, qua memorat Josephus; nihil tamen etiam eidem
decedit, etiamsi in proceram arborem ubique non excrescat:
... quasi serpens. Sed quo ego dilabor? e diverticulo
... rem. Nunc quanquam rem antea laudatam laudare
... minima ars sit, Ego tamen hoc unum assertum hic volo
quod inter omnes plantas herba non celebrior ruta: non com„
mendatior ruta: non humano generi utilior Ruta: Ruta
Ruta inquam est quae omnium in amore et delitijs habetur,
... gestatur in sinu et laudibus ob multifaria commoda, quae
foecunditate sua humano fert generi in Botanicorum scho„
lis ad astra usque fertur. Accedit, quod non ut aliae arbores
plantae aut fruticeo, qui veris tempore aspectu pulcherrimi
... hyeme vero l. levissimo frigore lisserunt, marcescat sed
semper vireat. Et quanquam folia avellantur, in media
tamen bruma etiam revirescit. Maxime a Rutae Praero„
gativa et excellentia posita in efficacissima veneni est expul„
sione. Quid? Peculiaris utique Rutae Auctoritas est propter
venena, utpote adversus quae praesentissimum praebet remedium:
valet et adversus serpentium morsus, quod mustelae norunt,
dimicaturae enim his, rutae prius se esu munire feruntur.
valet item Ruta contra scorpionum ictus, valet contra
aranearum, apum, crabronum, vesparum aculeos, valet
contra Salamandrae canisque rabiosi morsus: Tanta tanta
Rutae adversus venenata animalia vis est, ut si Ruta